

gubernio Belgico vel Gallico solvitur, induere rationem beneficiorum seu honorum ecclesiasticorum. Non videtur tamen idem dicendum de supplemento quod interdum sacerdotibus a parochiis seu municipiis datur, neque de pensione quae parochorum adiutoribus tribuitur. Nam, deficiente quavis declaratione S. Sedis, haec potius secundum naturam suam dijudicanda sunt. Jamvero supplementum istud a gubernio tantum dari *permittitur*: quare non stricte locum tenet beneficium, sicut pensiones proprie dictae. Parochorum autem coadjutores antiquitus per se non habebant beneficium, sed a parochis cui auxilium praestabant remunerandi erant: quare eorum pensiones hodiernae nequeunt haberi quasi beneficium locum tenentes. Tandem nullatenus inter bona ecclesiastica computandae sunt spontaneae fidelium oblationes, neque probabilis pensio annua quae detur e locatione scamnorum vel aliquo fundo ecclesiae adjacente, ut fit quandoque in Stat. Foed. Amer. (Sabetti, n. 362): nam in neutro casu redditus e vero beneficio ecclesiastico hauriuntur.

476. ASSERTA. I. Clerici e bonis suis proprie ecclesiasticis sumere possunt quidquid ad honestam sustentationem requiritur. Hoc autem *sustentationis* nomine venit quidquid moraliter necessarium est ad victum, vestitum, recreationes et convivia moderata ipsorum clericorum, ad stipendium famulorum vel famularum, etc. In his determinandis, ratio habenda est variae dignitatis clericorum et rationis qua, in singulis regionibus, clerici parae conditionis et timoratae conscientiae expensas suas moderari solent. Cfr. Laymann, l. 4. tr. 2. c. 3. n. 2. Hoc autem jus ad sustentationem e bonis ecclesiasticis hodierna disciplina certo agnoscit etiam iis clericis quibus opulentum suppetit patrimonium. (Bened. XIV, de Syn. l. 7. c. 2. n. 2)

II. Clerici sub gravi tenentur in pauperes aliave opera pia erogare quae sibi e bonis ecclesiasticis, detracta honesta sustentatione, supersint. Haec obligatio multis canonibus (Decret. Gratiani, causa 12. q. 1. et Conc. Trid. Sess. 25. de ref. c. 1) edicitur et a nemine in controversiam vocatur. (Bened. XIV, l. c. n. 5) Attamen, ut graviter contra illam legem peccetur, requiritur quantitas multo major quam in furto. (S. Alph. l. 4. n. 491)

Plurimum autem inter DD. controvertitur num haec obligatio oriatur e justitia commutativa et consequenter num teneantur ad restitutionem clerici qui eam violaverint. Affirmantem tenent plerique, praesertim antiquiores, innixi canonibus qui bona ecclesiastica vocant *patrimonium Christi, patrimonium pauperum*, quorum proinde clerici sint meri administratores, et textibus Patrum qui *furti* et *rapinae* reos faciunt

clericos expendentes redditus ecclesiasticos in profanos usus. Negantem vero propugnant multi et magni nominis AA. ut Lugo, Lessius, Sylvius, Molina, etc. Hi argumentem ducunt e Trid. Sess. 23. de ref. c. 1, ubi decernitur beneficiarios, qui e loco beneficium sine legitima causa diu absunt, suorum beneficiorum fructus "non facere suos." Hinc, argumento quod *a contrario* dicitur, deducunt beneficiarios qui residentiae leges servant facere fructus suos, quod idem est ac verum eorum dominium acquirere. Locutiones autem Patrum vel canonum quibus malus usus reddituum ecclesiasticorum injustitiae arguitur, non improbabiler comparant similibus reprehensionibus quae ab iisdem in divites male utentes superfluis proferuntur: quas oratoriae exaggerationi tribuendas et de injustitia late dicta explicandas esse certo constat. Ideo, in praxi, obligatio restituendi urgeri nequiret; nec facile de peccato gravi arguendi essent qui bona ecclesiastica a clericis dono acciperent. (Lugo, de Just. et J. disp. 4 n. 48 seqq.) Insuper, cum ista obligatio probabilis non sit realis, nihil ex ea transit ad heredes qui forte a clerico bona ecclesiastica acceperint. Ceteroquin, ubi tam exigua sunt bona ecclesiastica, ut quae, in regione nostra, parochis et canonicis tamquam pensio solvuntur, jam vix ad praxim facit praedicta lex canonica.

§ 6. DE DOMINIO AUCTORUM.

477. Auctoris nomine venit imprimis qui librum conscripsit; deinde etiam alii qui aliquid ingeniose composuerunt, ut rythmum musicum, picturam, machinam operi cuidam peragendo aptam.

Quaestio de auctorum juribus tractari potest, tum de jure naturae tantum, tum (quod magis practicum est) de jure quoque positivo. Utrumque simul considerabimus.

I. Quamdiu auctor opus suum nulla ratione juris publici fecerit, dubium non est quin, etiam spectato jure naturali tantum, nemo possit sine stricta injustitia illud, invito auctore, publici juris facere, ex. gr. typis edendo opus manuscriptum, secretum fabricationis propalando quod quis tantum e communicatione ab auctore facta vel per fraudem cognoscit. Ratio est, quod homo jus habet in opus ingenii sui et consequenter in fructus qui inde colligi possint. Recte notat Ball. P. (n. 14) duplex jus in auctore violari posse: 1° Jus ne quid vulgetur magis quam ipse velit; 2° Jus ad lucrum quod e vulgatione sperari possit. In restitutione facienda hoc alterum unice erit attendendum.

Dubium moveri posset num jam censendae sint juris publici lectiones ab aliquo professore traditae, contiones ab oratore habitae et similia.

Videtur autem omnino negandum : quare ab eo qui talia typis vulgaret, invito professore aut contionatore, facienda esset restitutio ea ratione qua supra dictum est. (Ball. P. l. c. ; Lehm. I. n. 905) Nam per talem communicationem non videtur auctor cedere jure quod habet in foetum proprii ingenii et consequenter in fructus quos per editionem lectionum vel contionum obtinere possit. Excipe, nisi consuetudo vel consensus aliquem amplio rem usum licitum faceret. (1) Haec autem solutio videtur servanda, etiamsi foliis autographicis, ut aiunt, opus jam paucis communicatum est : haec enim folia supplent tantum privatam scriptionem. Quodsi codex autographicus cuilibet venalis prostitit, jam idem dicendum ac si opus typis publicatum esset.

II. Quando auctor aliquod opus suum typis edidit, *saltem e lege positiva* omnium fere gentium exultarum, jus strictum habet ne idem opus suum in eadem natione ab alio, sine consensu suo, iterum typis edatur. Neque dubium ullum est quominus hae legis stipulationes in conscientia servandae sint : siquidem jura civium determinant ea ratione quae plene cum aequitate naturali et bono communi conveniat.

Si autem *solum jus naturae* spectatur, duplex datur sententia. Alii (ut Ball. P. n. 115; Lehm. n. 904 seqq.) censent manere auctori jus strictum ne opus suum ab alio excudatur, quia, dum istud typis mandavit, unice consensit in usus qui sibi non praejudicent, qualis esset descriptio privata; alii (ut Buccer. de Just. n. 33) arbitrantur laedi tantum aequitatem, minime vero strictam justitiam, quia opus, semel publice editum, fit eminentis proprietatis, ita ut de illo ad quoscumque usus per se licitos disponere possit. Praeplacet prior sententia quando agitur de prima libri editione, ne scil. ullus possit idem opus typis recudere ita ut auctor et bibliopola damnus patiantur in lucro convenienti quod ex hac publicatione rationabiliter sperent. Ultra hos limites videtur non constare de jure stricto, sed omnia legi positivae determinanda relinqui. (2) Ita fere Waffelaert, de Just. t. I. n. 171. Similis solutio applicanda est reproductioni statuarum, imaginum photographiarum et similium, quae auctore inscio vel invito fiat.

478. III. Pariter, *spectato jure naturae tantum*, controvertitur num justitiam commutativam laedat qui opus, in una regione typis manda-

(1) Ita solent statuere etiam leges civiles. Cfr. legem Belgicam 22 Martii 1886, a. 10.

(2) Cfr. legem Belg. cit. a. 2. quo jus opus typis mandandi asseritur auctori per totam vitam et ejus heredibus per 50 annos ab auctoris obitu.

tum, in alia regione iterum typis edat. Attamen, qui pro jure stricto e lege naturali oriundo stant, facilius concedunt non esse faciendam restitutionem quando altera editio, invito auctore, fit in regione valde dissita : quia vix impediatur auctor quominus lucrum conveniens percipiat. Si autem exstant *pacta conventa* inter plures nationes, haec certe in conscientia obligant. Talis conventio inita est 9 Sept. 1886 inter Belgium, Germaniam, Hispaniam, Galliam, Angliam, Italiam, etc.

IV. Si quis, sine consensu auctoris, ederet *versionem* ipsius operis in alia lingua, magis dubium fit num, spectato jure naturae, justitiam commutativam laedat. Nam minus solet auctori nocere ; lucrum autem quod translator percipiet saepe ipsius tantum labori in translatione facienda respondebit. Solent tamen jus versiones edendi auctori reservare leges civiles : quae certo, utpote aequissimae, in conscientia obligant. (1)

N. B. Leges civiles interdum fructus magis remotos auctori tribuunt. Ita, e lege Belgica (a. 24), si quis in concentu publico rythmum musicum, sine auctoris consensu, exhibeat, pars emolumentorum quae inde percepta fuerint tribuitur auctori *reclamanti*. Tales tamen ordinationes, ex ipso tenore legis et communi civium aestimatione, videntur non obligare in conscientia ante judicis sententiam.

CAPUT III.

DE DOMINII ACQUISITIONE.

479. " Deus generi hominum donavisse terram in communi dicitur, non quod ejus promiscuum apud omnes dominatum voluerit, sed quia partem nullam cuique assignavit possidendam, industriae hominum institutisque populorum permissa privatarum possessionum descriptione. " (Leo XIII, Cons. *Rerum novarum*) Ideo quaerendum est qua ratione res in privatum alicujus dominium veniant. Haec autem ratio seu titulus dominii acquirendi multiplex esse potest. Videntur autem omnes illi tituli ad quattuor reduci posse, quos singillatim considerabimus : 1° ad occupationem ; — 2° ad accessionem ; — 3° ad praescriptionem ; — 4° ad contractum. Hic tamen ultimus titulus ad specialem tractatum remittetur, in quo etiam dicitur de titulis qui aliquam affinitatem cum contractibus habent, nempe de successione hereditaria et testamentis.

(1) Cfr. legem Belg. cit. a. 12.